

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Proverbium Male parta male dilabuntur**

**Hanke, Gottfried  
Wachtel, Justin**

**Helmstadi, [1698]**

§. VI

**urn:nbn:de:bsz:31-102693**

runtur, *addimus* : & intereunt. Paulo quidem aliter, ratione autem non plane diversa, Wolfgangus Heiderus in Philosophiæ Moralis Systemate, pag. 113. ex Aristophane, hoc ita effert: Poetæ *Plutum*, si quem accedat, *claudicare*, si abscedat, *pernicissimis esse pedibus* fabulantur.

§. VI.

Fidem his dictis faciunt historiæ tam sacræ, quam profanæ, & imprimis quotidiana experientia, quæ jam olim occasionem huic nostro proverbio præbuit, idem confirmat. Redigamus modo nobis in memoriam ea, quæ nostra, patrum, & avorum nostrorū ætate acciderunt, & exempla reperiemus quam plurimā, *malè parta malè dilabi* attestantia. Evolvisse interim hic non omnino erit inutile *Harsdorffers* grossen Schauplatz jâmerlicher Mordgeschichte. *Erasmii Francisci* Traur-Saal steigender und fallender Herren / & *Christophori Boëtii* Beschreibung grosser Staats- und Kriegs-Minister Glücks- und Unglücks-Fälle / nec non *Theatrum Tragicum Francisci de Rosset*, una cum continuatione *Martini Zeilleri*.

§. VII.

Causæ quæ faciunt, ut *malè parta malè dilabantur* non semper eadem sunt, sed aliæ in hoc, aliæ in alio casu obtinent. Recensēbimus in præsentī præcipuas.  
(1) Socordia & negligentia in bonis malè partis administrandis. Si enim hâc etiam benè parta pessum eunt, multo magis & celerius malè parta idem experientur. Vetus est Apophthegma : *Frons Domini plus prodest, quam occipitium*. Vigilans Paterfamilias est bitrons, Jani instar, qui temporis præses, bina facie quaternisque oculis, ut advigilaret, fictus est à